



Gy. 22.

Gy. 22.

67

DE  
THEORIA HISTORIAE CIVILIS  
NONNVLLA.

PARS PRIMA.

QVAM

SVB PRAESIDIO  
CAROLI RENATI HAVSEN  
PHILOSOPHIAE P. P. O. ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE,  
ET REGII INSTITVTI HISTORICI GOTTINGENSIS SOCII  
ORDINARII.

DIE XXVII. APRILIS MDCCXLIX.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

S V B I I C I E T

CHRISTIAN GOTTLIEB CHRYSOSTOMVS BEER  
LEOBERGA SILESIVS.



HALAE  
LITTERIS CVRTIANIS.

THEORIA HISTORIÆ CIVITATIS  
CORNUTÆ

PARS PRIMA

SUB PRAESTIBUS

CAROLI RENATI HAVSEN

THILOSONIÆ ET R. DE ACADEMIAE HISTORICÆ MOSANENSIAE  
ET AECN. INSTITUTI HISTORICÆ FOLIATIONES 8000  
ORDINARIÆ

DIE XXVII APRILIS MDCCXIX.

EX CEDO LIBRÆ DIOCURNÆ ET ALMI

CHRISTIAN GOTTLIEB CHYRSOSTOMVS BRE

TOLOGRÆA HISTORIA

PARS SECONDA

EX CEDO LIBRÆ DIOCURNÆ ET ALMI



CIVITATIS LEOBERGENSIS  
CONSVLI GRAVISSIMO  
RELIQVISQVE SENATORIBVS  
CLARISSIMIS,  
  
HANC DISSERTATIONEM  
  
ET AD PIETATEM IN PATRIAM DEMONSTRANDAM  
GRATVMQVE ANIMVM, IIS,  
PENES QVOS CVRA SALVTIS FELICITATISQVE PVBLICAE EST,  
SIGNIFICANDVM OFFERT

CHRISTIANVS GOTTLIEB CHRYSOSTOMVS BEER.

CIVITATIS THEOBORGENSIS  
CONVENTI ERVASSIMO  
RELIGIOSAE SENSATORIBVS

CHARTA  
CIVITATIS THEOBORGENSIS

HANC CONSTITUTIONEM

AD FILIALEM IN EARTHAM DEMONSTRANDAM

CATHERINÆ MCCCCXII

ITEM QVOZ CIVI CIVITATIS ELLICITATIS AB LATERICE EST

SICMATICAM DILECT

CHARTA VINCENS COPTICAS CHYROSOTOMAS DIC



THEORIA HISTORIAE CIVILIS  
NONNVLLA.

§. I.

I  
llud, quod nuper inchoauimus, de statu reipublicae germanicae sub *Ottone* primo, continuare argumentum, fata reliquorum populorum Germaniae exponere, inprimisque vicissitudines Provinciarum luculentius describere, ut forma reipublicae germanicae his temporibus (sicuti veritatis amor, non inane studium partium postulat) ex hac ipsa rerum gestarum serie pateat, omnibusque

A

du-

dubitacionibus liberetur, nobiscum constitueramus. At enim vero cum ampla sane prouincia, nobis in hac academia demandata, cui pro virili parte satisfacere contendimus, tum aliorum negotiorum moles, morbusque, qui nos nuper oppressit, animum adeo defatigaverunt nostrum, ut plus vice simplici ab hoc reuocaremur consilio. Inter hos ipsos labores, ornatissimo huius dissertationis defensori, apud exteros ingenii sui explicandi, doctrinaeque in hac academia collectae, valde opportuna offerebatur occasio, qui, cum ad iter sece accingeret, nolui ejus rectissimae voluntati deesse, spemque, quam ex meo consilio, aliis jam nuper fecerat, fallere. Aliud igitur elegi argumentum, in quo pertractando, breui magis, quam luculenta et copiosa oratione utar, in primis etiam cum hoc ipsum argumentum de Theoria Historiae, valde ad nostrum accommodatum esse videatur consilium, ex quo ornatissimis Commilitonibus nostris, hanc partem humanae sapientiae publicis praelectionibus illustrare, constituimus. Hanc ipsam vero praefationem lectores nobis facile indulgebunt, cum iis rationem reddere cogemur, qui nos saepissime de lentis nostris nominibus accusent, quae tamen suo tempore persoluemus.

## §. II.

Inter veteres scriptores *Lucianus* a) et *Dionysius Halicarnassens* b); ille copiosa commentatio, hic vero cum grauitatem virtutesque reliquas Thucydidis describeret, quaedam pracepta regulasque historiae conscribendae tradiderunt. Quae si diligenter examinamus, largam profecto materiam Theoriae conscribendae, nobis suppeditabunt. Facili enim negotio, praestantissimi illi viri,

collig-

a) Tom. II. Operum pag. 362: Quo modo historia sit scribenda?

b) Tom. II. de Thucydidis charactere p. 137. ex editione Friderici Sylburgii.

colligebant, hanc rerum gestarum narrationem, neque prudentiam humanam acuere, neque homines ad virtutem allicere, et a vitiis retinere posse, nisi certo quodam consilio institueretur. Cum vero haec pulcherrima *Luciani* et *Dyonisi* praecepta, magis ad haec, quibus viuerent tempora, (licet multas regulas et nostrae aetati consentaneas contineant) accommodata esse videantur, amplam sane de hoc argumento dicendi, recentioris aetatis scriptoribus, reliqui uti materiam. Quem fugiunt in hoc ipso Theoriae indagandae studio, *Balduni* c), *Bollingbrokii* d), *Gaillardii* e), acutissimi *Gattereri* f), aliorumque egregii labores?

## §. III.

Haec vero Theoria Historiae, de qua paulo uberius disserimus, praeter regulas fidei historicae, ingenuum libertatis reliquarumque virtutum amorem, accurata oeconomia (sive te ad conscribendam historiam, sive alias instituendos accingas) ordineque rerum gestarum diligentissime seruando, bono dilectu, in hac fere innumerabilium generis humani vicissitudinum, ipso de hac rerum gestarum varierate judicio, denique genere scribendi absoluitur. Quapropter his omnibus expositis; vniuersa nostra oratio peroratur.

## §. IV.

Omnem historiam, cui in enarratione rerum gestarum, non summa veritatis vis insit, licet caeteroquin pulcherrime conscri-

A 2

pra

c) De coniunctione historiae vniuersae cum jurisprudentia.

d) Briefe über die Erlernung und Gebrauch der Geschichte.

e) Historische Bibliothek, erster Theil.

f) In der Vorrede zu der Geschichte Franz des ersten, Königs von Frankreich

pta, et omnibus numeris absoluta esse videretur, superuacaneam esse, praecipuaque destitui utilitate, extra omnem dubitationem positum esse videtur. Indefessum igitur veritatis, certitudinis, et verosimilitudinis omnino indagandae, perspiciendaque studium, a bono historico requiritur, ut haec vniuersa veritatis praecepta, ex philosophia petita, quae inter nos tristis in primis egregie summe venerabilis *Crusius* g) detexit, ad quamcumque rem gestam examinandam transferat. Qui locus in Theoria Historiae etiam latissime patet. Etenim ille praceptorum usus, a Philosophis pertractatorum, omnium optime ex accommodatione ad singula exempla colligi ac demonstrari potest. Quamuis vero hoc Philosophiae studium, mirifice vim judicandi acuat, ejusque ope, intimos veritatis errorisque recessus in vniuersum penetremus; rerum intelligens facili tamen negotio videbit, hanc ipsam philosophiam, ingenium tantummodo nostrum praeparare, ad fidem scriptorum omnino recte aestimandam, et ad ueritatem, ex ipsa rerum gestarum natura ac indole perspiciemus. Si vero de singulis locis scriptorum, aut narrationibus, de cognitione hujus vel illius scriptoris, quatenus ad fidem eius pertineat, de comparando inter se vel consensu vel dif sensu scriptorum, sermo instituitur; haec ipsa fidei praecepta, Critices et rei Diplomaticae studio magnopere illustrantur. Cum hoc ipso autem studio, ut frequentem et indefessam scriptorum lectionem, ipsamque accuratam cognitionem variarum rerum, temporumque, quibus floruerunt auctores, conjungamus, necessarium esse videtur. Itaque et in Theoria studii historici, quatenus haec ipsa studia ad veritatem eliciendam, dijudicandamque, vim suam et utilitatem exserunt, explicabimus. Praeter ea, quomodo ipsa lectio scriptorum sit peragenda, ne errores amplectamur,

g) Weg zur Gewissheit und Zuverligkeits der menschlichen Erkenntnis  
S. 1057.

mur, veritatem negligamus, aut tempus operamque, legendis variis scriptoribus, quorum alias primus res gestas memoriae prodidit, reliqui omnes vero eum presso pede sequuti sunt perdamus, erit dicendum. Deinceps etiam variarum gentium scriptores diligenter inter se sunt comparandi, cum in vniuersa rerum gestarum narratione, tum in insignibus ac praecipuis rei commemoratae locis. Ita et ex fide ipsius gentis, ex sapientia, vel praejudicatis temporum opinionibus, ex forma regiminis, variisque et Principiis, et Imperiorum vicissitudinibus, ex ingenio scriptoris, cognitione ejus vel frugifera, vel sterili ac inani, denique virtutibus vel vitiis multa colligemus.

## §. V.

Quemadmodum, quaecunque doctrina, si te paululum attollere, eaque excellere contendis, non solum summam diligentiam, sed etiam quandam ingenii praestantiam requirit; ita profecto in hoc ipso historiarum studio, non facile inter reliquos eminebis, nisi ad hoc ipsum veluti natus esse videaris. Nolo attingere eorum errorem, qui jam dudum fuit explosus, cum existimarent, admirabilem vim memoriae, omnem praestantiam historici, magnique nominis gloriam efficere posse. Hunc ipsum locum, de dotibus animi, in Theoria historiae, nullo modo silentio esse praeterendum, satis superque pater. Si vero ad accuratam judicandi vim, admirabilem ingenii libertatem, excellentiam memoriae, animus libertatis, nonnullis hominibus innatus, candore, celsitudine, magnificientia, ingenuitate, reliquisque virtutibus exornatus accedit? tum demum absoluta veluti boni historici magnitudo exoritur. Quomodo homo seruus et illiberalis ingenii, timidus adulator, in describendis vel virtutibus vel virtutibus principum vnicce veritatem amplectetur? quomodo, vt diligens, grauisque rerum gestarum au-

Etor, praejudicatis opinionibus occurret, clamores, calumniasque  
 ciuum suorum aliorumque aequo animo feret? quomodo ea, in  
 rerum gestarum enarratione attinget, quae vel ad emendandos mo-  
 res ciuum, vel ad ipsam rem publicam magis stabiliendam, felici-  
 tatemque ciuum adaugendam pertinent? quomodo denique hac  
 animi fortitudine erit praeditus, ut ex amore veritatis et candore  
 in posteros, humanae felicitatis immemor, jacturam bonorum, pri-  
 vationem muneris, captiuitatem, quid? ipsam imminentem mortem  
 altissime contemnat? Deinde etiam ex ipsa formula regiminis, ex  
 virrutibus, ingenio, vel virtiis Principis, ex libertate, quatenus vel  
 omnino floret, aut depressa jacet, modo summam historicorum li-  
 bertatem, modo fere exigua, quid? plane nullam reperiemus.  
 In his vero terris, vbi virtuti nullus honos habetur, vbi non solum  
 facta sed etiam verba puniuntur, omniaque consilia, non ex amore  
 in patriam, sed ambitione venalique fide agitantur: quis antiquae  
 integritatis scriptor, res gestas etiam remotioris paululum temporis,  
 memoriae prodere anderer? Displacet hominibus ad seruitutem,  
 veluti natis, in vniuersum libertas dicendi, et male factorum con-  
 scientia, adeo saepe homines perturbat, ut et aliorum sceleribus  
 ingenue descriptis, se ipsos laceritos esse putent. Quare hanc ter-  
 ram, quae sub hoc duro gemit imperio, magis relinquere, quam  
 hanc pulcherrimam dicendi libertatem amittere quis nolle? In hoc  
 Theoriae studio, haec ipsa historicorum libertas, omnium optime  
 exemplis illustrabitur. Ita scriptores Graecos cum Romanis com-  
 parabimus, et inter hos ipsos secundum diuersa, quibus floruerunt,  
 tempora, secundum libertatem populi, quae varias saepe experta  
 fuit mutationes, ipsius libertatis historicae gradus definiemus.  
 Porro haec ipsa comparatio inter scriptores Romanos, tempore li-  
 berae reipublicae et Caesarum imperio, aut inter Brittanum et Gal-  
 licum scriptorum, aut Germanum, et iterum, verbi causa, inter  
 Saxonum, cum Austriaco, instituta, pulcherrime hanc dicendi li-  
 ber-

bertatem ostendet. Quemadmodum vero inter boni historici virtutes hic libertatis amor, animusque ingenuus et ab omni praecuditarum opinionum auctoritate liber, praecipuum locum obtinet, ita profecto, illa iniqua temeritas, quae suo ingenio tantum indulget, ex innata calumniandi libidine, nullam virtutem, ubique scelera vider, magnopere erit fugienda. Hic ipse locus paulo diligentius est pertractandus, ut in primis exemplorum commemoratione, hanc veram omnique laude dignissimam libertatem, ab hac nonnullorum scriptorum petulantia, separemus.

## §. VI.

Egregie profecto celeberrimus *Gattererus* in Bibliotheca historica in primis <sup>b)</sup> de oeconomia historiae vniuersalis rerumque gestarum ordine disputauit, et sapienter collegit: solummodo praestantia ingenii, auxilioque Philosophiae, nos, rerum gestarum enarrationem feliciter ordinaturos esse. Cuicunque vero satis superque pater, quam inanis et ridicula sit omnis factorum cognitio, cum summa imis misceamus, semper veluti in tenebris versemur, et lectorum memoriam, nostri judicii acumine, non adjuuemus. Hac laude praे omnibus reliquis veteres scriptores excelluerunt, plerique vero recentiorum, hanc difficultiam historiae pertractandae partem, quae demum Factorum commemorationem reddit frugiferam, plane neglexerunt. Etenim, multi ne quidem diuersas historiarum partes accurate distinxerunt, multo minus solliciti de singulorum factorum ordinatione. Ita porro in ipsa enarratione factorum, superauerunt antiqui nostros Scriptores, cum modo in historia vniuersali nostrorum haec facta commemorata legimus, quae tantummodo in historia populorum obtineant locum; denique cum historiae vniuersali, tum populorum eam rerum gestarum

<sup>b)</sup> Parte prima.

starum Recentiores immiscent narrationem, quae plane aliena esse videatur, et ad historiam singularē, quid saepe ad Biographiam pertineat. Aliam profecto oeconomiam, aliamque rerum gestarum collocationem, quaecunque pars Historiae postulat. Ita ratione Oeconomiae plane inter se differunt, Annales, et Annales pragmatici, porro quaedam veluti absoluta historia sive omnium gentium, sive nonnullorum, sive vnius gentis, denique historia genealogica et Biographia. Deinceps longe aliam viam et rationem auctores Compendiorum, quam Epitomatores, et illi, qui memorabilem quandam factorum seriem explicant, sibi eligere debent. Praeterea ipsum Consilium, ex quo ad conscribendam historiam accedimus, diligentius erit examinandum, aliter nunquam profecto lectorum voluntati satisfaciens. Age vero de hoc ipso arguento, paulo diligentius videamus, cuius grauitas omnia reliqua, in hoc Theoriae studio longissime superat.

## §. VII.

Inter omnes constat, eam demum Historiam, quae omnium gentium res gestas, et antiquis et mediis aevis temporibus, et nostra aetate illustrat, splendido historiae vniuersalis nomine, dignam judicari posse. Ex hac ipsa sententia, facile eorum error colligitur, qui *Puffendorfium*, *Struuium*, alias, quos nolo nominare, inter scriptores historiae vniuersalis referant. Quemadmodum vero jam supra demonstrauimus, in eo in primis boni historici officium esse collocandum, ne fines, quibus, (ut reliquae disciplinae) historiarum studium regitur, transgrediantur; ita per se pater, et ipsum dilectum, et ordinationem factorum, singulari modo institui debere. Accedit ad ea, quod omnis reliqua historia, huic catholicae, tanquam fundamento suo innitatur, atque nos in vniuersum de memorabilibus vicissitudinibus generis humani

mani instruat. Colligo igitur, ortum, progressum et interi-  
tum, mores, instituta, litteras, virtutes et vitia populorum, re-  
ligionem, ritus, (quatenus rerum gestarum memoriam illustrant)  
omnem historiae vniuersalis pertractionem absoluere. Nun-  
quam aliter proposito nostro satisfaciemus, sed modo in historia  
populorum enarranda versabimur, modo ad vniuersalem redibi-  
mus, et nunquam vniuersam rei tractationem ad finem perduce-  
mus. Quapropter, cum *Gatterero*, immensum illud Britanno-  
rum opus *i*) nullo modo tanquam historiam vniuersalem consi-  
dero. Ita etiam neque illos Britannos qui veritatem et erro-  
res, additis nouis *k*), ex hoc opere hauserunt, neque acutissi-  
mum *Franzium* nuper defunctum *l*), neque *Boysenium* *m*), cu-  
jus eruditionem magni aestimo, in classe scriptorum historiae vni-  
uersalis colloco. Ipse praestantissimus *Gattererus*, (humanitas  
doctissimi viri liberatem mihi facile condonabit) adeo saepe  
copiosa eruditione, antiquitates eruit et indagat, ut magis popu-  
lorum historiam, quam vniuersalem conscribere videatur. Quid  
igitur sentiam de *Freyeri*, cuius doctrinam caeteroquin laudo et  
commendo, aliorumque Compendiolis, quibus maxima ex parte  
vita principum continetur, lectores facile intelligent, superuaca-  
neumque forer, his ipsis nostrum addere judicium.

## §. VIII.

Explicata itaque natura et vera indole Historiae vniuersa-  
lis, ad quam accuratius perspiciendam, in ipso Theoriae studio,  
exempla

*i*) Die Allgemeine Welthistorie.

*k*) Allgemeine Weltgeschichte von Guthrie, und andern.

*l*) Allgemeine Geschichte der Welt, der Natur, und der Völker. 2 Theile. Berlin.

*m*) Pragmatischer Auszug aus der Allgemeinen Welthistorie.

exempla cum antiquorum tum recentiorum scriptorum profere-  
mus; nunc et ad ordinem rerum gestarum, et ad singulorum  
factorum collocationem progredimur. Si paululum diligentius  
omnis temporis, rerumque gestarum memoriam repetamus; vel  
modo gentes exortas, iterum vel dispersas, vel oppressas fuisse,  
animaduertemus. Per longissimum porro temporis spatium saepe  
floruit quaedam gens, ad extremum tamen superata fuit; alia  
porro majorem consequuta magnitudinem atque potentiam, cum  
vero ipsa hac sua magnitudine laboraret, subito fuit deuicta.  
Ita ex Babyloniōrum et Assyriōrum terris, imperium Persarum  
exoritur, et hoc oppreso Graecorumque libertate sublata, terri-  
bilis populis *Alexandri* magni potentia. Ex ejus hereditate  
crescent posthaec vires Romanorum, quibus deuictis, noua ite-  
rum exsurgunt regna. Haec ipsa populorum antiquitas, va-  
riaque mutationes, sicuti jam vidit doctissimus *Gattererus*, om-  
nium optime vniuersum dicendorum ordinem nobis ostendunt.  
In cujuscunque gentis vero historia, nullo modo rerum gestarum  
enarratio ita est instituenda, ut ex more *Freyeri* et aliorum, (qui  
plane rejiciendus est) hoc tempore illam particulam et (conside-  
ratis interea aliorum populorum rebus gestis) reliqua capita alio  
absoluamus. Ab origine usque ad ultimum tempus cujuscunque  
populi, non-interrupta rerum gestarum serie, deducenda est hi-  
storia. Alias neque memoriae succurremus, neque nexus facto-  
rum, quae arctissimo inter se cohaerent vinculo, perspiciemus.  
Nisi vero, quatenus singula facta inter se eohaereant, rectissime  
perspicias, quomodo de iis ipsis judicare valebis? ideoque omnis  
tua eruditio historica cum infimae plebis narrationibus erit com-  
paranda. Post rerum memorabilium gentis cujusdam commemo-  
rationem, ipsa reipublicae, religionis, doctrinae, institutorum,  
morum, vitiorum virtutumque vberior descriptio, secundum  
quasdam Epochas, statim locum occupat. Saepissime facta tan-  
quam

quam causae, has ipsas partes reipublicae commutauerunt; Sae-  
pius vero etiam formula regiminis, mores institutaque, rebus vel  
feliciter, vel infelicitate gerendis occasionem dederunt populo.  
Ex quo colligo, hanc institutorum explicationem, eo ordine in  
historia vniuersali esse collocandam, ut ipsa rerum enarrandarum se-  
ries eo clarius intelligi et illustrari possit. Si igitur, ex ipsis rei-  
publicae administranda mutationibus, noua series factorum exori-  
tur, eas non absoluta populi historia, sed statim illustrabo, ita, ut  
quemadmodum res gestas secundum Epochas, considerato tamen  
diligentissime nexus factorum, proponam et explicem, ita etiam  
mores ac instituta secundum Epochas delineem.

## §. IX.

Nouam tamen, his omnibus feliciter superatis, in historia  
vniuersali pertractanda, et longe grauissimam video difficultatem.  
Etenim cum in explicandis rebus gestis cuiusdam gentis versa-  
mur, necesse est, ut alios populos attingamus, quorum rerum  
gestarum memoria nisi simul animo lectorum obueretur, nun-  
quam illi hanc, quam commemorauimus historiam, ab omni  
parte perspicient. Ita vero, et exemplo veterum scriptorum,  
et praestantissimis praeceptis doctissimi Gattereri commotus, ex-  
istimo, tum demum vniuersae rerum gestarum enarrationi immi-  
scendam esse hujus vel illius populi historiam, cum ipsius memo-  
rabilis facti natura ac indoles, verbi causa, bellum quod deuicto  
populo finitum fuit, hunc ipsum dicendorum ordinem postulare  
videatur. Haec ipsa historia, quam ex more Auctoris carminis  
epici, narrationi inseramus, secundum has regulas, de quibus su-  
pra verba fecimus, erit conscribenda.

B 2

§. X.

## §. X.

Satis igitur de Oeconomia historiae catholicae, omnino disputatimus, sed restat ille locus, in quo singulorum factorum ordinationem exponere promisimus. Male profecto nostro satis facimus consilio, si, secundum Chronologiam annorum, ab uno ad aliud factum progrediamur. Tum profecto Annalistarum, nullo modo veterum historicorum morem imitamur. Illi, longe aliter seriem factorum ordinabant, quae ordinatio, licet summam judicandi vim, meditationem et accerrimum studium requirebat, eos tamen insigni nomine pragmaticorum Historicorum dignissimos reddidit. Omnia facta arctissime inter se cohaerent, ita ut vnum sine alio ne quidem cogitari possit. Hunc vero ipsum nexum factorum, in primis cum saepe hoc, vel illud, naturae alterius repugnare videatur, penetrare, res difficillimi laboris erit. Quapropter, si historiam conscribamus vel vniuersalem, vel aliam, (nam hic locus de collocatione factorum ad omnem pertinet) ut primum omnium rerum gestarum memoriam animo percurramus, maximopore necessarium esse videtur. Ad hanc ipsam considerationem, accedit diligens singulorum factorum examinatio, ut videamus, quomodo illud factum ad alia sit referendum. Inde causae, origo, factorum progressus, et ea, quae post haec sequunta, accurate sunt inter se conjungenda, veluti ipsi, rem non describeremus, sed perageremus. Ita naturalis ordo dicendorum, quoad singula facta non solum exoritur, sed etiam res ipsa, secundum veras causas et effectus, lectorum oculis subjicitur, ex qua descriptione verum historiae fructum percipiems. Ita ipsae causae, in serie factorum, a nobis explicandorum, non semper occurunt, sed latent, et altius saepe erunt repetendae. Ex quo iterum patet, Chronologiam secundum annos, accuratissime etiam obseruatam, nulla ratione pragmaticam rerum gestarum effectuam esse, narrationem. Igitur saepe facta, historiae erunt imiscen-

miscenda, quae ex judicio nonnullorum lectorum, a nostro proposito aliena esse videntur. Velle, ut ille, qui magno cum clamore, in Bibliotheca Berolinensi, de nostro nouissimo libro, sententiam ferre voluit, diligentius systema factorum examinasset, tum facili negotio colligere potuisset, ex qua causa, hoc vel illud factum locum obtineat. Silentio reliqua praetereo. Etenim hanc de meis laboribus judicandi libertatem, aliis lubentissime concedo, in primis si veritatis amore, nullo partium studio, quod fere ubique nostra aetate regnat, nititur. Optarem, ut hunc veritatis amorem Berolinensis scriptoris, aliorumque laudare possem: an recte sentiam, penes aequos et bonos viros sit judicandi arbitrium. Deinceps ipse ordo singulorum factorum, non semper una eademque ratione est instituendus, ut ex more plurinorū recentiorum scriptorum, primum res bello memorabiliter gestas, deinde pace, enarrēmus, et eas iterum secundum certas classēs, semperque eodem modo. Etenim cum secundum causas et effectus, historiam describamus, saepissime inter domestica populi facta, res in remotissima gestae terra sunt collocandae. Non solum ex hac commemoratione, jucunda quaedam varietas oritur, quam nisi adhibeas, lectorum animi defatigabuntur, sed etiam tum denum veram naturam ac indolem omnium rerum, quae acciderunt, lectores perspiciant, de illisque rectissime judicare valent. Sic verbi causa in historia pacis inter Britannos, Gallos, Hispanos et Lusitanos, sanctitiae, facta in Europa, cum aliis ex noua terra petitis, inter se sunt concilianda et conjungenda. Quapropter relatio singulorum factorum ad alia, summis difficultatibus obnoxia esse videtur, eamque rite perspiciendi, et felicissimum scriptoris ingenium acerrimaque judicandi vis requiritur. Igitur etiam saepe res per se exigui ponderis, inter facta grauissima et maxime memorabilia sunt collocandae, propterea quod maximos habuerunt exitus, admirabileque vicissitudini causam et occasionem suppeditarunt. Denique si secundum causas progressum et effectus, re-

rum gestarum seriem examinauerimus, ipse transitus factorum ad alia, rerum commemorandarum natura inniti debet. Ita demum recta singulorum factorum cum aliis coniunctio, feliciter efficitur. Ita neque anxie connectendi particulas exquireremus, neque semper iisdem loquendi formulis, noui facti narrationem exordiemur, aut denique eas narrationis partes, cum rei com memoratae initio coniungemus, quae plane repugnant, lectoribus nauseam et taedium excitant, et quae nullo modo inter se conciliari possunt. Quamuis omnium regularum vis insignem nobis praebeat utilitatem, tamen nisi ad eas judicii grauitas, accurratum Philosophiae studium, exercitatio, pulcherrimorumque exemplorum dilectus accedat, profecto tempus operamque perdemus.

## §. XI.

His satis superque, ex nostro hoc argumentum pertractandi consilio, explicatis, de oeconomia Historiae specialis, que nonnullorum populorum historiam, sicuti notissimum est, complectitur, verba faciemus. Cum jam in superioribus, et suis finibus regi studium historicum demonstrauerimus, naturamque ac in dolem historiae vniuersalis, ab omnibus reliquis historiae partibus separauerimus, satis superque colligitur, oeconomiam rerum gestarum in hac, plane diuersam ab illa esse, quam descripsimus. Differt vero ab illa, et dilecta factorum, et multitudine denique vberiori rerum gestarum explicatione. Etenim illa facta, maxime memorabilia, hoc est, originem, progressum et ultima cujusdam populi fata, in historia populorum quidem repetemus, ita tamen, ut ea, longe vberiori oratione explicemus ac illustremus. Hanc vero ipsam explicationem eo facilius intelligimus, cum jam studio historiae vniuersalis praeparati ad eam accedemus. Igitur et plures causae factorum, et partim longe alia, partim multo plura facta, hic locum obti-

obtinebunt. In historia catholica, ex fere innumerabilium factorum multitudine, ea tantummodo feligo, quae ad originem, progressum et ultima fatigae populorum pertinent; At enim vero in historia speciali, omnem et secundam et aduersam fortunam nonnullorum populorum, vel sub quoconque principe, vel quoconque tempore, describam. Ita copiosa oratione, in eruendis institutis, moribus, formula regimini, litteris, utr, et multas res memorabiles, quas data opera in historia vniuersali silentio oppressi, attingam et explicabo. Quis porro in hoc historiae vniuersalis studio, quancunque etiam levissimam imperiorum mutationem, aut bellum modo inchoatum, ita statim finitum, commemorabit? aut omnes res, in praeliis describendis, in foederibus fisciendis, in restituenda populis pace delineabit?

Si vero ea omnia, in historia nonnullorum populorum pertractanda omittis, in grauiissimum incurres errorem. Nam non solum memorabiles nonnullarum gentium vicissitudines considerare volo, sed omnem populi fortunam; omnium rerum, mea attentione dignarum, initium et exitum. Inter hos ipsos populos, sicuti in historia vniuersali, nonnullos summam potentiam consequitos, alios penitus deuiciisse, intelligemus. Ita et in hoc historiae populorum studio, sicuti in catholicae, hanc ipsam historiam, vniuersae narrationi inferendam esse existimo. Eam vero explicandi tum commoda erit occasio, si ipsum bellum, a quodam populo inchoatum, et ab alio adeo infeliciter gestum, describere aggredimur. Etenim incomparabilis *Moscovii* morem, qui plane deuicto populo, ejus res gestas memoriae prodidit, sicuti verbi causa, Alemannici, parte secunda historiae germanicae, ideo nolle imitari, quoniam saepe vel ex aliis rebus gestis, vel ex partibus reipublicae, vera causa belli ab hoc populo feliciter, et ab illo infeliciter finiti, repeti possit. Igitur, si etiam secundum causas, hoc ultimum, et infelicitissi-

cissimum populo bellum, enarrem, tamen lectores eas non ab omni parte et clarissime perspicient. Hanc ipsam difficultatem, sicuti puto, vedit *Gattererus*, nouam igitur elegit viam, et rationem, ex qua, ea historia, statim cum hujus populi mentio iniciatur, sit commemoranda. Haec ipsa ratio, alias iterum continet difficultates. Nam non solum ita dicendorum ordinem perturbamus, sed etiam, ut omnia, quae jam narrauimus, deinceps repetamus, necesse erit. Accedit ad ea, quod lectores ipsi, si verbi causa factum non adeo grauioris momenti alicujus populi, et deinceps omnem reliquam historiam, ac instituta relata legant, hunc ipsum nexum factorum inter se, penetrare non possint.

## §. XII.

In hoc ipso vero oeconomiae loco, quoad historiam populo-  
rum, nonnulla alia ad explicandum supersunt argumenta. Quae  
cum per se grauia, et attentione digna esse videantur, ea nullo  
modo omittam; sed potius, sicuti reliqua hujus Theoriae Capita,  
in parte secunda hujus dissertationis exponam, quam v. D.  
crastino die, eruditorum subjiciam examini  
atque judicio.



ORNAMENTUM

# ORNATISSIMO DISSERTATIONIS

DEFENSORI

S. P. D.

CAROLVS RENATVS HAVSEN.

**A**cceſſi ante aliquos annos ad hanc noſtrā acadēmiam, elegan-  
tioribus bene p̄eeparatus litteris, quibus omnis reliqua inniti-  
tur eruditio atque doctrina. Hoc ipsum litterarum bonarum ſtudium  
ſtatiuſ augurabat, cum me primum ſalutares, intelligeremque, Te vi-  
vorum, omnis elegantioris doctrinae intelligentiſſimorum, Baueri mihi  
amicissimi, et Schumannii uſum fuiff̄ disciplina. Quapropter luben-  
tissime Te inter meos recepi, cuim ut ſatisfacerem amicitiae cel. Baueri,  
tum ſpeī, in meo candore, integritateque poſitae, omniq̄ modo in-  
genium tuum excitare, rationemque ſtudiorum conſilio operaque ad-  
iuuare elaborau. Incredibili vero cupiditate diſcerdi, et plane in-  
defessa diligentia, non ſolum ſcholis celeberrimorum buius acadēmiae  
Iureconsuitorum, interfuſi, ſed etiam cum hoc legum, ſuperioris-  
que disciplinae ſtudio, reliquas humanae ſapientiae partes, inprimis  
prætantissima biftoriarum ſtudia arctiſſimo coniunxiſi vinculo. Et  
enim cum ex ipſa natura et indole Iurisprudentiae, tum ab exemplis  
prætantissimorum virorum et ſuperioris et noſtræ aetatis facile col-  
ligebas, accuratam legum Theoriā, ſolertemque ideo cauſarum  
inuestigationem, niſi rerum geſtarum et diuerſarum rerum publicarum  
perfecta et omnibus numeris abſoluta, accedat cognitio, ne  
quidem cogitari, multo minus effici poſſe. Iḡitur Te ſemper comi-  
tem habui et inter reliquos vidi, quibus biftoriā catbolicā, Imperii Romano Germanici, res in Europa hoc ſeculo memorabiliter  
geſtas, prudentiam ciuilem, notitiam rerum publicarum, rem di-

C

ploma-

plomaticam, denique historiam litterariam Philosophiae et bonarum  
artium, explicavi ac illustravi. Disciplinac enim nostrae studia  
semper in hac academia vel maxime floruerunt, et licet mibi de  
amore nostrorum Commititorum in uniuersam historiam, acrique eius  
excolendae studio, ad eos veluti haereditate translato, verissime glo-  
riari. Nullo modo ex more nonnullarum academiarum, Germaniae  
vel maxime omni eruditioni adversante, eorum studium, histo-  
riae catholicae aut Imperii Romano Germanici cognitione absolu-  
tur, sed potius, cum, et reliquas historiarum partes, diligenter  
ac sedulo percurrent, rectissimum summaque laude dignum esse vi-  
detur. Eorum morem cum et Tu ornatissime Beer diligenter fue-  
ris imitatus, hoc rectissimo studio et aliis innotuisti, variamque in  
hac academia doctrinae copiam felicissime collegisti. Ita et Pa-  
triae et iis, qui tibi rebusque tuis bene cupiunt, non fallaci sed  
certa fide augor, Te, spem de Tua doctrina ingenioque conce-  
ptam, non solum impleturum sed plane superaturum esse. Non in-  
diges auxilio meo, in defendenda difficillimi argumenti disserta-  
tione; quoniam vero mos ita est, Te comitabor et veluti spectator  
tuarum virtutum adero. Deum immortalem rogo, ut sicuti ha-  
bemus, ita et posterum omnes consiliorum tuorum rationes, euen-  
tusque sua pro lentia moderetur ac dirigat. Ita vale, neque Pa-  
triae, cui omnis doctrinae virtutisque principium debes, neque Aca-  
demiae nostrae, quae summa fide Te recepit ingeniumque expoluit,  
denique mei, si forsitan bac attentione et amore dignus esse videar,  
ne obliuiscare.

---

DOCTIS.



# DIOCIVISSIMO

HIVVS DISSERTATIONIS

DEFENSORI

AMICO DILECTISSIMO

S. P. D.

IOANNES GOTLIBIVS SCHVMMELIVS.

**Q**uamuis ab eo tempore, quo Tua amicitia atque consuetudine mihi  
frui licuit, animum Tibi meum satis superque probauerim: tamen  
adeo commoda hodierna die mihi obuenit occasio, vt nullo modo silere,  
sincerissimam potius Tibi declarare mentem, velim. Nolo vel arctissimum  
amicitiae nostrae vinculum in memoriam reuocare, ipseque veluti reno-  
vare dolorem, quem animus meus, discessu Tuo perculsus satis sentit; nolo  
laudes Tuas commemorare: nam haec ipsa oratio Tuam offendet mode-  
stiam. Quomodo etiam indigeres laude mea, cum virtutes Tuae et ad-  
mirabilis diligentia insigni Patronorum fauore, aequaliumque aemula-  
tione dignissimae iudicatae fuerint? Igitur gratias Tibi tantummodo  
ago referoque, quod me veluti comitem honoris Tui et Tuae virtutis  
admiratorem eligere volueris, ex quo novum pignus amicitiae amorisque  
Tui mihi tradidisti. Quapropter, vt omnia breuiter complector, et  
hanc Tuam felicitatem Tibi ex animo gratulor, et Deum Summum rogo,  
vt eam quotidie adaugeat amplificetque; animumque Tibi spondeo inte-  
gerrimum, quo certe nulli Tuorum vnquam vel fide vel amore cedam.  
Ita vale et res Tuas age ex animi Sententia.

C 2

AMI-

# AMICO SVAVISSIMO

S. P. D.

SCHAEFFERVS, L. L. C.

VRATISLAVIENSIS.

**I**ta et me, Vir Ornatussime, dignum iudicauisti, qui in societatem honoris, laetitiaeque TVAE venirem. Iucundissimum profecto mihi est hoc amicitiae TVAE pignus, quod mihi occasionem praebet, palam profiteri, quanti TE faciam, quantoque admiratione TVVS virtutes prosequar. Nihil magis opto, quam ut immortalis Deus Tibi TVIS que rebus semper prospiciat. Ita enim profecto TVAE doctrinae morumque integritatis uberrimos colliges fructus. De me Tibi velim persuadeas, me semper in eo omnem operam collocaturum esse, ut, si etiam amorem fidemque TVORVM amicorum officiis non superem, certe tamen has virtutes adaequem. Ita vale, meique, amicitiaeque nostrae nunquam ipsas obliuiscare! Halae Sax. die XXIV. Aprilis MDCCLXIX.

Ne 1680.  
8

ULB Halle  
001 508 342

3




St.

Nur für den ~~Zoologen~~

m.t.





DE  
**THEORIA HISTORIAE CIVILIS**  
**NONNVL A.**

PARS PRIMA.

QVAM  
**S V B P R A E S I D I O**  
**C A R O L I R E N A T I H A V S E N**  
PHILOSOPHIAE P. P. O. ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE,  
ET REGII INSTITVTI HISTORICI GOTTINGENSIS SOCII  
ORDINARII.

DIE XXVII. APRILIS MDCCCLXIX.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

S V B I I C I E T

**CHRISTIAN GOTTLIEB CHRYSOSTOMVS BEER**  
LEOBERGA SILESIUS.



HALAE  
LITTERIS CVRTIANI S.